



Joh. Frid. Jüttner.
Halle 1850.

Af. 136

Gaffor

M. C. v. L

— OT

Zn Schaffer
verle

Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA

DE
**TIMORE ET AMORE,
DEO DEBITO,**

Q. V. A. M.
MODERANTE

ADAMO RECHENBERGIO,
S. Theol. D. ejusdemque Profess. Primar. & h. t.
Ordinis sui Decano,

PATRONO ATQVE STVDIORVM SVORVM
PROMOTORE DEVENERANDO,
LIPSIÆ IN AVDITORIO THEOLOGICO

CAL. SEPT. AO. MDCCXVI.
PLACIDÆ θεολογίντων σιζητίσει SVB JICIT
A. & R.

JOHANNES BALTHASAR FAVST,
Argentoratensis.

LIPSIÆ,
LITTERIS SCHEDIANIS.

DIESER TITEL DER THEOLOGIA

DE

TIMOR ET ANXIUS

DE

DEO DILECTO

DE

MODERANTE

ADAMO RUDOLPHINEREGIO

DE

PATRONO VIRTUTIS THEOBALDI M

DE

PLATEA AVARITIAE ET GLOCO GO

DE

CVM TERRA VITAE ET VITRINA XX

DE

JOHANNES BAL THASAR FEST

DE

THESSALICUS SCHOLARIBVS

DE

Inclytæ & Liberæ

S. R. I. Reipublicæ, quæ Fran-
cofurti ad Mœnum est,

D O M I N I S

PRÆTORI, CONSVLIBVS,
SCABINIS, SCHOLARCHIS,
SYNDICIS & SENATORIBVS,

V I R I S

MAGNIFICA EXCELLENTIA;
GENEROSA ET NOBILISSIMA PROSAPIA,
DIGNITATE AMPLISSIMA,
CONSVLTISSIMA PRUDENTIA

ILLVSTRIBVS,

PATRONIS AC PROMOTORIBVS

S V I S

OMNI OBSERVANTIA PERPETIM DEVENERANDIS,

ASCE ACADEMICORVM STVDIORVM
SVORVM PRIMITIAS,
CVM VOTO OMNIS PROSPERITATIS ET
FELICITATIS PERPETVÆ,
HVMILLIMI CVLTVS GRATIA,

DEDICAT

JOHANNES BALTHASAR FAVST.

AD
EXIMIVM
DN. RESPONDENTEM
DISSERTATIONIS HVJVS,
AMICA περιφύνησις
^A
PRÆSIDE
ADDITA.


CVm inter alias ab amicis ad disputandum TIBI
materias propositas, TIMOREM & AMO-
REM DEI elegisses, meumque super eo consilium
expeteres; non potui non id argumentum probare,
lubenterque, ut rogareras, TIBI suppeditare, que
ei elaborando mihi videbantur idonea. Quid enim
S.Theologia cultorem magis deceat, quam in omni Sana
doctrina studio, timorem & amorem DEi meditari?
Sane absque illo, quod Salomon docuit, vera sapi-
entia haberi nequit; imo timor DEi ipsa sapientia
est. Proinde recte atque ordine fecisti, quod ei
junxeris AMOREM DEI, quippe qui ab illo in rebus
divelli nequit. Hac de causa nullus ego dubito,
MI FAVSTE, quin, quos studiorum Patronos
colis,

colis, hoc tua industria Specimen magis etiam adprobaturi sint, quam si forte in tāq̄ iēdēas Schola defūmisſes argumentum, nullum in Christianismo usum habiturum. Qualia tractare Paulus Timotheum suum (*) devitare jussit. Tu vero CARISSIME FAVSTE, Majorum Tuorum vestigia hac in parte premere recte perges: Nomina enim D. JOHANNIS & D. ISAACI FAVSTORVM vñ ēv aīlos, illustris patria Tua Argentina non tantum, sed & ecclesia nostra Saxonica celebrat. Horum igitur exempla sequi, honestissimum est. Inlytum Francofurtum, quod timentes amantesque DEV M, viros excellentissimos itidem habet, qui TIBI favere studiaque ac laudabilem industriam tuam in usum Ecclesia provehere, DEO volente, non desinent. DEV S, quem times & amas, piis cæptis tuis porro gratiam sum adspiret ex voto! Deproperabam.

Lipsiae prid. Cal. Sept.

MDCCXL.

(*) 1. Timoth. I, 4. & C. IV, 7.



DE
TIMORE ET AMORE
DEO DEBITO.

PROOEMIVM.

Duae sunt præcipuae cultus divini partes, quas DEus, Dominus ac Pater noster O. M. a nobis in verbo suo revelato depositit, ut ipsi nostrum adprobemus obsequium; quæ TIMOR & AMOR appellantur. De utroque divina gratia adjutus agere nunc institui; quod ut in sanctissimi Numinis gloriam vergat, DEum in Christi nomine devote precamur.

A

CAP. I.

CAP. I.
DE
TIMORE DEI,
SYNOPSIS.

- §. 1. Timor DEI vel ut affectus, vel ut virtus considerari potest: ejus descrip^{tio}.
2. Prima oirgo timoris.
3. Hic per se non est malus, quod probatur.
4. In S. scriptura, timor DEI potissimum ut virtus describitur.
5. Distinguitur in timorem filialem & servilem; quorum ille amorem DEI includit:
6. Item fidem & spem.
7. Hinc S. Augustinus eum per doct^{ri}nas & doct^{ri}nas, seu cultum DEI religiosum explicat.
8. Hic viue fidei consequens effectus est, & ex cognitione DEI & attributorum ejus excitatur.
9. Exemplis & sacra historia illustratur.
10. Est fructus verbi divini tam legalis tam evangelici.
11. Renatis DEam orantibus datur.
12. Timor servilis qui irregenitorum est & ex lege oritur; adeoque per se non est salutaris.
13. Timor hic legalis justificationem antecedit.
14. Subiecta ejus sunt securi peccatores, aut hypocritae paenitentiam simulantes.
15. Timor ex metu paene concitatus non simpliciter improbandus est.
16. Hinc timor Domini mixtus, qui medicinalis appellatur.
17. Timor cautionis quid sit.
18. Timor reverentialis seu filialis regenitorum, soli DEO debitus.
19. Timori huic cedere debet timor hominum, qui nocere volunt aut possunt.
20. DEUS tamen non ex metu paene solum timendus.
21. Τρόποις & animositatis in timore Domini a DEO exuranda.
22. Hac, in fide timor diaboli & mundi vincendus.
23. Praecepta timoris Domini a Mose & Salomone consignata probe observanda.
24. In hac, inter alios improbos, perjurii maxime peccant.
25. Timor panicus, quid sit?

§. I.

S. I.

TIMOR & AMOR DEI, vel ut affectus animi, vel ut virtutes & propensiones animi habituales ad actus decentes considerari queunt: De his priori modo sumitis in philosophia, physica pura, & ethica doctrina agi potissimum solet. In iis quippe origo, indoles ac modus affectuum humanorum explicantur; quod scilicet TIMOR sit passio animi ex oppinione impendentis alicuius mali, vel, ut *Suidas* brevius loqui amat, Φόβος εἰς περιθώνια κακά, expellatio mali; sive illud sit imaginarium, sive verum ac reale, quod in animo tristitiam parit; contra AMOR est affectus jucundus ex propensione animi in rem aut personam nobis convenientem, pulchram, utilem, amantisque animo gratam, quae mentem hominis exhilarat, atque gaudium excitat.

S. II.

Origo prima TIMORIS est ex peccato & offensa DEI. Nam primi homines, cum lapsi essent, DEUM benignissimum Creatorem suum, quem tota corde constanter amare poterant atque debebant; eum post lapsum timere statim cœperunt, Gen. III, 8.9. Senserunt enim dictante conscientia, iram & iustitiam DEI ultricem tanti criminis a se adversus eum temere admitti. Ex quo innumere postea calamitates & mala in universum genus humana provenere, quæ mortalibus timorem incutunt.

S. III.

Hic tamen timor per se non est malus, et si animo modestus. Nam ut *Clemens Alexandrinus Stromat. libr. II. f. 37.* οὐ in τῷ νόμῳ Φόβος, ἐστιν ἀλλὰ νόμος ὁ γαπός κακεῖον αναιρεῖσθαι, scribit; sit autem malus, si non simul adfici fides spes & amor in DEUM, benignissimum Patrem & Dominum, qui per Filium suum unigenitum reconciliatus suis mortalibus: Unde alius timor regenitorum, & alius irregenitorum est. Quo respicit *Chrysostomus Homil. XV. ad populum Antiochenum Tom. VI f. 560.* dicens: *Nisi bonus esset timor filii, patres pedagogos non preponerent, nec legislatores civitatibus ullos magistratus.* *Quid gehenna gravius?* sed hujus metu nihil utilius

4 DE TIMORE ET AMORE

lius: gehennæ namque timor, regni nobis effici coronam: ubi timor est, invidia non est; ubi timor est, pecuniarum amor non vexat: ubi timor est, extinctus est furor, cupiditas improba correpta, omnis irrationalis passio exterminata.

§. IV.

Quapropter observandum est, quod in sacris literis & Theologia Christiana TIMOR & AMOR, ut virtutes aut actus considerentur; quando Deus istos mortalibus in verbo suo requirit, ut Deut. VI. 1. Timeas JEHOVAM Deum tuum &c. v. 13. JEHOVAM DEUM tuum timebis, & illi servies, ac in nomine ejus iurabis. Filius honorabit patrem, & servus Dominum suum. Quidam Pater ego, ubi est honor meus? & si Dominus ego, ubi timor meus? Dixit JEHOVAH Zebaoth vobis, & sacerdotes spernentes nomen meum, Mal. I. 6. & sequente cap. II. 10. In his & multis aliis locis scripturarum sacra TIMOR reverentialis & filialis, qui ex cognitione & fide in DEUM (יְהוָה Gen. XVII. 1.) oritur, intelligendus venit. Nempe ut DEI omnipresentiam & majestatem reveremur, ac mala, quod sunt peccata fugiamus.

§. V.

Nam duplex Timoris genus jam olim Clemens Alexandrinus Pædagog libr. I. 1. 9. f. 126 agnovit; quorum unum cum pudore, alterum cum odio conjunctum dicitur. Illud declarat exemplo bonorum civium, qui bonos suos principes timent & reverentur, ut eorum gratia constanter frui queant; hoc vero exemplo servorum, qui difficiles Dominos habent, eosque metu poena extimescent. Utrumque Theologi nostri facta distinctione, in timorem filialem seu reverentialem, & servilem declararunt; qua re de percepta, multa Scriptura loca, ubi de timore DEI agitur, facilius intelliguntur, aut conciliari possunt. Nam quando DEUS timorem sui a mortalibus jure suo postulat, in primis filialem indigit, quo morigeri filii parentes suos reverentur, atque simul amant. Quando vero petulantis & contumacis peccatores ad timorem suum, adjectis minis poenarum excitat; timor ille ante horum conversionem est servi.

servilis; ea autem hunc insequente, per virtutem Evangelii fidem operantem, fit *filialis & reverentiae*, quem Germani *Ehrfurcht* appellant. Renati quidem non abs omni timore immunes sunt; legali tamen & servili timore carent: quia benignum & misericordissimum Patrem in celis habent: quem amore post regenerationem filial amplectuntur. Inde metus horum gaudio quandoque miscetur; confer exemplum apud *Matth. XXVIII*, & *Davidis* in *Psalmis*, qui licet sepe metu hostium perculsus; tamen in fide lætatus est, sperando certam ab hostium insidiis liberationem.

§. VI.

Hinc intelligi datur illud *S. Johannis I. epist. IV, 18. Timor non est in caritate, scilicet legalis & servilis: nam, ut Augustinus in Enchirido, c. II. cum Lucano loquitur: licet sperare timenti; & sepe tam in facris literis, quando Timor DEI a Mole & Prophetis inculcatur, religiosus DEI cultus in fide, spe & charitate consistens indigitur: ut Pſ. XXXIV, 12. Ite, Filii, audite me, TIMOREM JEHOVÆ docebo vos, h.e. verum DEI cultum aut religionem, Pſalm. CXI, 10. Prov. I, 7. Job. XXVIII, ult. En, Timor Domini est sapientia, & recedere a malo, intelligentia, Pſ. LXI & Ecclesiast. seu Cogheleth XII, 13, 14. (1. Sam XII, 24.) Pſ. II, 11. 12. adde Ad. X, 7. & c. XXII, 12. hinc Simeon *Luc. II, 25.* iuris sibi vocatur.*

§. VII.

Hac de causa *S. Augustinus in Enchirido ad Laurentium, c. 2.* Timorem DEI cum Gracis per iuris etiam & scientiam explicat, eoque fidem, spem & charitatem summatim complecit: quas virtutes Augustinus sequentibus capitibus uberiorius explanat atque declarat. Unde & *B. Lutherus* noster Augustini aliquo magnus estimator, *Tom. III. Wittembol. 287.* bene scribit. Gott dienen im Hebräischen heisst eigentlich das / so wir Deutcher heissen Gott dienen, und Gottesfurcht, Gottes-Dienst. Nun kan man sichtbarlich und leiblich Gott nicht dienen auf Erden, denn man sieht Ihn nicht, sondern geistlich, wenn man sein Wort ehret, lehrt bekennet und darthut, etc.

A 3

§. VIII.

Causa ergo hujus Timoris non est naturalis quædam animi timiditas, qua quis malum aut periculum aliquod sibi imminens exhorrescit; sed est effectus fidei in homine renato & illuminato per verbum DEI accensæ, quo eminentissimam DEI Majestatem, dominium & imperium, quod in omnes creaturas, maxime rationales habet, atque pro Justitia & sapientia sua exercet; quando & ubi illi vitum est Timor itaque talis est reverentia coram Numine summo præsente, omniscio, omnipotente, justo & sapientissimo, conscientia teste ac judice. Quapropter vere timentes & coientes DEum, oportet non solum DEI existentiam ac providentiam credere; sed etiam ejus majestatem *Jer. X. 22. X. 6. 7. Job. XXXVII.* & imprimis ejus justitiam scelerum ultricem revereri, *Math. X. 28. Luc. XII. 4. 5. Gen. XVII. 1. Pf. VII. 11. 12. LXVI. 3. CXXXIXI. Coheleth XII. 13. Malach. I. 6.* Qui Timor tamen penes renatos cum amore DEI conjunctus est, & velut temperatus. Nam DEUS etiam his, si in fide invocatur, gratiam suam & misericordiam promisit. Sed nuda horum divinorum attributorum cognitio sterilis seu speculativa, non sufficit; verum via & efficax e divinis literis haurienda requiritur, quam Hieropfates paßim prædicat.

Exempla ita DEum timentium præbent Patriarchæ, *Abrahamus. Gen. XXII. 12. Isaacus. Jacobus. Gen. XXVIII. Josephus c. XXXIX. 12. & XLII. 18. Moses. Joshua. Hanna. Luc. II. 37. Obadias. 1. Reg. XVIII. 3. 1. Hanania. Nehem. VII. 12. Obstetrics in Aegypto. Exod. I. 17. Maritus viduæ illius, cuius mentio fit 2. Reg. IV. 1. David. 2. Sam. VI. 9. 2. Paral. XIV. 9. Hiskias. 2. Reg. XVIII. 4. seqq. Josias. 2. Reg. XXIII. 3. Josaphat. 2. Paral. XVII. 6. Anna mas, cuius mentionem injicit Lucas Act. XXII. 12.*

Timor itaque filialis ac revertens est fructus verbi divini, tum legalis, tum evangelici. Nam quando lex justitiam Dei ultricem prædicavit, & peccatores ad pœnitentiam excitavit; Timor inde ortus quidem terret; audito autem & percepto Evan-

Evangelio, fides & spes gratiae per Christum partae accedunt, quibus timor ille concitatus temperatur & fit filialis; quod Hierosolites Ps. CXXX, 4. innuit: *Nam tecum, Domine, est remissio; ut timearis.* Fidelis enim facit, ut Timor iustitiae divinae legalis in corde hominis insinuetur simul, ut spes ex Evangelio increscat & moveatur ad extollendam gratiam DEI, Psalm. IX. v. 5. CXLV, I. Luc. I. 41, ideo Apostolus de re-natis scribens, ait, Rom. VIII, 15. *Non enim accepisti spiritum servitutis rursus ad metum, sed accepisti spiritum adoptionis, per quem clamamus: Abba, Pater.* confer Augustini Epistol. 120. ad Honoratum, Timorem hunc S. Maximus εἰγὼν κατέθετο: *Qui veterem, qua virtutis habebat ac affectibus jaclabatur, conversionem aversatus? Onnem animi affectum, quo timore agitur, divinis praecipitis addixit; is nullo boni genere, quod eos decet, deficitur: tamen nisi dum in virtutibus habitum naturus est, nec ejus sapientia, quam loquuntur inter profundos, factus est particeps. Qui DEum non ut judicem timet, sed propter excellentiam infinite virtutis excellentiam non reveretur, οὐ εἰς ὑστερημα, &c.* S. Maxim tom. 1. opp. Centena prim. num. 68. seqq. fol. 526. seqv.

§. XI.

Atque hunc Timorem reverentialem Deus ab omnibus mortalibus exposcit, Psalm. XXII, 24. XXXIII, 8. ac per Spiritum S. in animis renatorum operatur, Ies. XI, 2. Rom. VIII, 16. quapropter orari & exorari debet piis precibus, ut eum nobis donet atque conservet, Psalm. LI, 3. seqq. LVI, 2. 3. 4. 5. Oratio vero cum summa humilitate fieri debet, Genet. XVIII, 27. Ecce quæsto (precatur Abrahamus) suscepit loqui ad Dominum, cum ego tamen pulvis & cinis sim. In his igitur precibus maiestas Divina simul extollenda est, ut David Psalm. XCIX, 5. CXLV, I. & aliis fecit.

§. XII.

Timor autem servilis, qui irregenitorum & servorum est, et si quando lex peccati & conscientia ipsos accusant aut terrent, Rom. II. 15. ut interdum scelera atrociora patrare su-giant; tamen cum non sit sincerus, quippe fide carens, dum

metu

metu culpæ ac pœnæ tantum concitatus fuit; non est vera virtus, sed servilis horror. uti enim illi herum suum timent, & ex metu pœnæ tantum mandatis ejusdem obtemperant, sed sine amore & interna animi lubentia; ita & plurimi mortales Deum ob imminuentem pœnam peccati reformidant, cum ante regenerationem & justificationem spiritum timoris tantum habeant. *Zach. XII, 10. Rom. VIII, 15.* de hoc *S. Augustinus Homil. XIV. in Psalm. CXVIII.* dicit: *Timor iste, quo non amatur iustitia, sed timetur pena, servilis est; quia carnis est, & ideo non crucifigunt carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas: Mallet enim licere & dolet non licere, quod lex vetat, quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur.*

§. XIII.

Timor itaque servilis justificationem præcedit; quia antequam peccata in justificatione remittantur, vera eorundem ex lege agnitus ac verus de illis dolor requiritur: DEus prius mortificat, antequam vivificat, pios in infernum deducit, antequam reducat, nec infundit oleum misericordie; nisi invas contritum: Postea accedit fides, quæ terrores illos superat, & in Christo mediatore remissionem peccatorum quærit. Longe ergo alio modo timor servilis ad justificationem se habet, quam fides: ille enim est velut *προτεραιότης* & antecedens quoddam justificationis; hæc vero ejusdem causa instrumentalis. Timor filialis & justificationis consequens est vere fidei fructus; neque enim locum habet timor filialis in corde hominis, nisi per fidem prius sit DEi filius. Ex quo adpareat, aliter ad justificationem concurrere fidem, quam timorem filialern. v. *Gerhard. loc de justif. n. 168.*

§. XIV.

Subiecta hinc Timoris servilis sunt securi peccatores in diem viventes, vel carnali fiducia in DEi misericordiam, vere timentibus ac creditibus promissam confisi, differunt penitentiam, persuadentes fibi, semper DEi gratiam fore paratam; etiam quando in agone mortis tantum incla-

inclamet: *Deus miserere mei.* At vero Deus quidem omnibus timentibus se & credentibus gratiam suam dare promisit; securis tamen peccatoribus praefracte subinde eam repellentibus iram suam & desertionem jam in hoc seculo exercendam denunciat. *Proverb. I, 14. 25. seqq.* (conf. B. Geieri *comprob. in h. l.*) ita Regem Israelis Saulem, ex metu legali ad ipsum clamantem, amplius noluit audire, *I. Sam. XXVIII, 6. 15.* Nuspianum enim Deus in S. Scriptura praefractis & pervicacibus peccatoribus tempus gratiae, quod est deus, negligentibus, subinde gratiam revocatricem & adiplicatricem usque ad ultimum vite halitum paratam esse promisit. Ideo B. Dannhauerus noster in *Hodoſoph. Phenom. IX.* p. 879, notanter scribit: *Gratia (singularis) non omnibus contingit, quod in apostolis valet, non aequa in nondum illuminatis (ait D. Hüfemannus in *Breviar. c. XIV.* p. 55.) omnibus enim nondum illuminatis (Luc. I, 79. 1. Tim. II, 4. 2. Petr. III, 9.) promisit restorationem luminis perulanter eximidi (Ebr. III, 14. 17. IV, 1. & 3. Matth. XXV, 9. & 2. Job. XII, 35. Jer. III, 1.) quoad tempus gratiae habet Dominus invictus duxit, habet suum bodie. Sicut olim in Judaico populo circumscriptum illud fuit annis post Christi mortem quadraginta, aut circiner; IN HOMINIBUS SINGULIS SUUM HABET AMBITUM NOBIS IGNOTUM, NOTUM DIVINAE PROVIDENTIAE, QUI PLERUMQUE AD MORTEM USQUE PROTENDITUR; NISI OB GRAVEM CONTUMACIAM PRIUS ETIAM precidatur; ideo moneatur (*Hebr. III, 7. seqq.*) non obdurare cor nostrum, dum appetet τὸ σημεῖον.*

§. XV.

Præterea etiam observandum est, quod timor ex metu paenae concitatus, non absque limitatione & distinctione subjectorum improbadus sit. Deus enim hunc per Mosen & Prophetas subinde requirit, *Jes. VII, 12. 13. Cobel. XII, 13. 14.* immo Christus ipse, *Matth. X, 28.* *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius timeat eum, qui potest & animam & corpus perdere in Gehenna.* Id

B

vero

vero in metu legali, qui servilis dicitur, desideratur; quod irregenitus ante conversionem clandestino odio s^ep^e erga eum flagret, ejusque timor minime sit sincerus aut filialis. Idcirco hortationes ad DEum timendum in Scriptura extantes, non solum timorem justitiae & irae divine incutiunt; sed ut timor ille sit ulterioris operationis; nempe ut corda hominum excitentur & compellantur ad contritionem, indeque ad amorem per Christum mortalibus promeritum & in Evangelio oblatum querere simul annitantur. Quod accidit, fide per Evangelium accensa, quae carnales animi impetus & falsas imaginationes expellit, timoremque lenit atque sanctificat, ut DEO placeat.

§. XVI.

Hinc *Timor Domini* ex legali & Evangelica doctrina excitatus & velut mixtus est regenitorum ac fidelium, qui a Dannhauer^o, Colleg. Decalog, p. 200. appellatur *Medicinalis*. Quemadmodum enim DEUS est Numen harmonicum, sic justus & misericors est; ita pietas ex timore & fiducia temperatur, Pf. II, 11. Matth. X, 28. Hujusmodi mixtus timor (scribit Dannhauer^o) apparet in servo DEI creato feliciter redento, consecrato, peccatore quidem, gratia tamen proco, Psalm. CXLI, 2. Matth. XVIII, 29. reverente Numen terrible quidem, sed placabile & iungitorum ad nutus faciei serene annuentis renuentisque obsequioso. Confer Dannb. Lact. Catechet. Part. I. p. 281. & Part. IV. p. 101. seqq. Atque hinc timor judicii extremi fidelibus non est pertimescendus; quia ipsius Christi voce animantur; ut capita sua extollant, diemque judicii cuncte expectent, Luc. XXI, 26.

§. XVII.

Unde aliqui timorem cautionis statuunt, qua renatus DEI filius metuit DEI offenditam, caverque peccata, quibus patritis ab eo separaretur & puniretur. Prov. VII, 12. 13. C. XIV, 16. Hoc timore metuitur amissio salutis spiritualis, non tantum ut est privatio boni, & pena; sed etiam & quidem imprimis, ut in se continet separationem a DEO seu amico, immo animae sponso benignoque patre, qui timor S. Bernardo dicitur.

dicitur *amicalis, castus, filialis, ingenuus.* Vitiosus vero timor est *diffidentia*, quando quis diffidit de poenitentia sua sufficiencia, aut fidei veritate; ut accidit quandoque fidelibus in tentatione constitutis. Heic DEus orandus est, ut fidem imbecillem corroboret & Spiritum lœtum det, *Pf. LI, 12.* Timor enim talis non tollit spem & fiduciam in Christi merito positam. Confer i. *Cor. II, 3, 2.* *Cor. VII, 1, & II.* *Ephes. VI, 5.*

§. XVIII.

Timor igitur sanctus & reverentialis foli DEO debetur; nam et si Magistratus & Imperantes etiam timere jubemur, id tamen non terminative accipiendum, sed propter conscientiam foli DEO devotam exposcitur, *Rom. XIII, 4, 5.* DEVS enim ut super omnia diligendus, ita & super omnia timendus est; ac adeo qui DEum ex toto corde tinet, non alia terribilia in mundo carni horrenda, pari modo reformidare debet. Licer enim Diabolus, tyranni, persecutores, mors & alia mala a renatis etiam metuantur. Timor tamen hic ob fiduciam in DEum accedentem fidelium animabus nocere haud potest. Ita enim Christus nos diserte edocet, *Matth. X, 17. sqq.* usque ad v. 27. quod cum Apostoli & martyres firma & heroicæ fidei instruti, exemplis suis confirmarunt. Impiorum vero Timor fiducia in DEVM expers, tantum servilis est, quem Autor Libri Sapient. *XVII, 10, 11, 12.* describit. *Quod quis adeo timidus sit, malitia sua propria facit, quæ ipsum convincit & condemnat. Et conscientia timidi semper pessima ominatur. Nam timor inde oritur, cum quis non audet se se excusare, & auxiliis insens est.* E contrario renatus, qui DEum super omnia confidenter timet, metum hostium & inimicorum, bona fide in DEum nixus excutit, ut cum Davide dicere queat, *Psalm. III, 7.* *Non timebo mihi a myriadibus populi, quæ circum circa se posuerunt contra me.* Hujus timoris fructus patet, quando Christus adparuerit ad judicium, *filiale fiduciam habentes non confundentur ab eo in adventu eius, 1. Job. II, 28.* Pari animositate Paulus *Rom. VIII, 31.* scribit: *Si DEVS pro nobis, quis contra nos?* Improbi autem tum desperabundi exhorcent, quod libr. Sapient. c. V, 1, & cap. XVII. non sine horrore legitur.

§. XIX.

Fideles proinde DEO confisi, in causis justis & piis tuendis, quas recte & prudenter expenderunt animo, potentum iras ac minas non habent, cur extimescant, causamque justam in eorum gratiam deferant. Hoc faciunt hypocritæ & apostatae ne forte hominum gratia excidant, Talis *Timor* alias dicitur *mundanus aut humanus*, qui malus & vitiosus est; ut si quis, ne homines offendat eorumque gratiam perdat, aut aliud temporale damnum sibi accersat, posthabitio timore DEI, hominibus magis placere vult, quam DEO. Quod viatum non in aulis tantum, sed in judicis admodum frequens est. *Quod Salomo Eccles. c. III. 16.* jam suo tempore observavit: *Vidi amplius quoque sub sole, locus judicii est, ubi impietas, & locus justitiae, ubi iniquitas.* Ast qui hoc faciunt, non possunt servi DEI fideles esse, *Galat. I. 10.*

Ex hacdenus dictis facile ad questionem responderi potest: An DEV M reſte colant, qui ipsum metu pœnae tantum colunt ac timent? Respondeat Ludov. Dunte in *Devif. cas. Conſcienc.* 1) folius pœnæ metu, qui colit DEV M, vere pius non est; hoc enim est proprium Diaboli, *Math. VIII. 29. Marc. V. 7. Iac. II. 19.* & impiorum, *Exod. VIII. 15.* 2) interim ob metum pœnarum DEV S etiam timendum est; ideo enim punit alios, ut ipsorum periculo sapere diccamus, *i. Cor. X. 6. seqq.* Et Christus vult, timeri DEV M ideo, quia corpus & animam precipitare potest in gehennam, *Math. X.* Verum non est principia caufa timoris; nam servilis est, timere DEV M faltem propter pœnam, non propter offendam. Impii hoc faciunt, qui in peccatis prefaciū pergerent, si nullas se pœnas incurserent; sicut Pharaon pœnæ metu premiteret dimissiōinem populi, sed cessante pœna, obduravit animum. 3) Magistratus DEI minister meruendas est propter pœnam, *Rom. XIII.* ut §. antecedente jam diximus.

§. XXI.

Sed hanc animositatem & *ταχόπολιν* in timore DEI necesse iam, cum ex carnali impetu vel audacia habere neque-

amus, opus semper est orare, ut DEVS eam cordibus nostris indat per Spiritum fortitudinis, ut timentibus se promisit, *Ierem. XXXII, 39. 40.* Dabo illis cor novum, & viam unam ad remedium me omnibus diebus, in bonum ipsius & filii ipsorum post ipsos. Periculaque ipsius fadi sculi, quod non averterus me sim post eos, ut beneficiam isti; timorem autem meum dabo in cor eorum, ut non recedant a me.

§. XXII.

Ergo fidelibus incumbit, ut expellere vanos timores mundi, Diaboli & ejus satellitum allaborent, induendo armaturam spiritualem, ab ipso Apostolo descriptam, *Ephes. VI, 11. 12. seqq.* ut habeamus fiduciam, & non confundamur coram eo in ipsis aduentu, *i. Job. II, 18.* Quia tamen in parte maxime requiritur fuga securitatis, que homines carnales fascinat, ut inexstitum inopinato ruant, *i. Theff. V, 3.* & pereant. Hanc vero ut expellamus orando, quatuor, que vocantur, *noxissima*, scilicet mortem, judicium extremum, coelum & infernum semper cogitemus, animoque serio expendamus, ut in tempore per poenitentiam, DEum nobis reddamus propitium. Huc reipexit Apostolus, cum Philippenses renatos commonet, ut cum meo, & tremore suam salutem operentur. Quæ verba Apostolus non fidei certitudini, que in renatis est, opponit; sed securitati carnali, in quam etiam renati, nisi vigilent, incidere possunt, *i. Cor. X, 12.* Nempe est timor DEi (ut S. Maximus Cent. I. de charitate cap. XXXI scribit) qui cum ipsa charitate conjunctus est, (σωτηρία) reverentiam quandam, semper anime ingenerans (ευποίησις) ne proper charitatis libertatem, in contemptum DEI erumpat. S. Maximus hinc tres classes timentium DEi facit; scilicet incipientium, proficientium & perfectorum, quos tom. I. opp. fol. 526. describit.

§. XXIII.

Interim observatu semper dignissime sunt verba Mosis, que Deuteronom. X, 12. 13. Israelitis iterato inculcat: Jam vero, o Israel, quid Jehova DEus tuus postulari a te? nisi ut timeas Jehovan, DEum tuum, ad ambulandum in omnibus viis ipsius, & ad diligendum ipsum, & ad serviendum JEHOVÆ, DEO

tuo, ex toto corde, & ex tota anima tua, ut custodias præcepta JEHOVÆ, & statuta ejus, quæ præcipio tibi hodie, ut bene tibi sit. Quibus subjugimus Salomonis monitum, quod post contemplationem vanitatis mundi, qua sub sole est, in gratiam juventutis addit c. XI, 9, 10. & quo finit librum Coheleth c. XII, 13. Sunnam verbi omnis audiamus: DEVM time & PRÆCEP'TA ejus CUSTODI: hoc namque omnis hominis est. Nam (pergit vers. 14.) omne opus DEVS producit in iudicium, preter omne occultum, sive bonum, sive malum sit. conf. Ps. XXXIII, 8. & XXXIV, 10.

Securi ergo, qui sine timore DEI in diem vivunt Christianorum nomine plane indigni sunt; ut ex. gr. perjurii, qui dum pejerant, omnem reverentiam divini Numinis ejurant, nec omniscientiam, nec iustitiam, nec omnipotentiam Dei se revereri aperte testantur. Si enim hæc crederent, metu Numinis omnisciæ, justi & omnipotenti, cuius vindictam, in perjurio in se depositum, eludere non auderent. Quod sane maximum est scelus, gentilibus etiam abominandum, quod omnem religionem Numinis tollat. Ideo DEUS perjuros nunquam impune dimittit, Numer. XXX, 2. & 11. Matth. V, 33. Observemus ergo Salomonis præcepta: Ne amuletur cor tuum cum peccatoribus; sed in timore DEI esto omni die, Proverb. XX, 3. 17.

§. XXV.

Est præterea *timor*, qui *terror panicus* vocatur, quem gentiles a suo Pane immisum putabant. Orpheus in hymno πάνιον ὄστεον vocavit. Christiani terrorem cœlitus immisum ad frangendos hominum furores appellant. G. Voetius terrorem miraculosum dicit, quem a prodigioso distinguunt, v. ejus diss. select. part. 2. p. 938. seqq. Exempla in S. Scriptura hinc inde occurunt, quæ Dannhauerus Theolog Consient. tom. I. parv. 2. Sect. 2. artic. 6. & Sect. 3. art. 2. recenset. Hic *terror DEI* appellatur; quia a DEO inicitur, quo ex inopinata causa animus externatur; cum vel objecto periculo vero ac presenti, vel mox instanti, sed quasi *άπο μυχανής*, extra ordinem sub.

it.

it. Exod. c. XXIII, 27. Deut. II, 25. c. XXVIII. Jos. II, 9. Ps. LXXVI.
vel non vero, Phantasia seu imaginatione se ipsam deludente,
Levit. c. XXVI, 21. Job. c. XV, 21. 2. Reg. VII, 4. Sed abrumpimus
hanc telam de timore DEI & ad contemplationem amoris
progredimur.

CAP. II.

DE

AMORE DEI.

SYNOPSIS.

- §.1. Praeceptum de amore DEI.
9. Origo hujus amoris est ipse Deus - Caritas.
2. Amoris divini objectum est DEUS JEHOVA.
10. Bona gratiae hujus ad amorem allicientia recensentur.
3. Causa, cur Moyses ei addit, Deus tuus.
11. Hinc cognitio DEI munificissimum ex S. Scriptura, necessaria est.
4. Nomen Elohim SS. Trinitatem includit.
12. Ad quam mentis humanae illuminatio requiritur.
5. Natura & indoles amoris divini exponitur.
13. Qualitas hujus dilectionis, a Mose & Christo ex precepto amoris descripta explicatur.
6. Causae impellentes & excitantes ad amorem DEI, qui summa & eminentissimum bonum est.
14. Actus illius non tantum exteriori, sed interni praecipue si de provenientes requiruntur.
7. Bonitatem, sapientiam, ac omnipotentiam DEI reflectantur universi orbis creatio & miranda conservatio & gubernatio, regno naturae contemplanda.
15. Objectio contra hanc, ut videtur rigorosam legem amore, refutatur.
8. Imprimis autem bona & beneficia DEI spiritualia ecce celestia, fideles ad DEum super omnia diligendum excitare debent.
16. Observanda est distinctio inter te servare legem amoris divini evangelie; & te servare illam legaliter juxta rigorem Mosaicum, quod dilucidatur.
17. Pon.

17. Pontificiorum error hac in parte manifestus e concilio Tridentino proponitur.
18. Refutatur ex divinis literis, & declaratur, quomodo ista lex servatu sit possibilis, & quomodo impossibilis.
19. Renati, qui legem hanc per gratiam evangelicam servare possunt, distinguuntur.
20. Gradus hujus gratiae & sanctitatis declarantur.
21. Qui hac in parte inter renatos, perfecti vocantur.
22. Perfectio haec distinguitur & limitatur.
23. Scrupulus, qui de perfectione Christianorum debita ex Matth. c. V, 48. movetur, explicatur & reficitur.
24. Inde amorem divinum in renatis non esse simpliciter perfectum, declaratur.
25. Distinctio hinc amoris in purum & impurum olim nata; super ejus vero definitione & explicazione inter magnos in Gallia Theologos - episcopos controversia agitata. Voces, purus & impurus, ambiguae significationis sunt.
26. In hac controversia puritas moralis denotatur, explicatur & adplicatur.
27. In Scripturae. renati & sancti comparativa dicuntur puri.
28. Quae puritas famen non est perfecti gradus.
29. Gradus amoris divini S. Bernhardus quatuor constituit; sed quartum, qui perfectus est, in hac vita Sanctorum etiam non assequi posse, recte statuit.
30. Sed archi-episcopus Cameracensis, Franciscus de Salignac Fenelon, quinque genera vel gradus divini amoris statuit, qui recententur.
31. B. Lichtenheidius, & laudatus noster Buddeus animadverterunt, Salignacum in sublimi contemplatione amoris lapsum esse.
32. Quod probatur, & amplius demonstratum fuit ab Andr. Frid. Koenigsmanno.
33. De amore DEI non satis puro.
34. Regeniti autem amori puro studere tenentur.
35. Purus amor DEI respectum ad felicitatem eternam includit.
36. Quod exemplo Davidis etiam probatur.
37. Dannh. distinctio amoris divini nobis probatur.
38. Characteres hinc amoris divini sinceri ac puri recensentur; Primus illorum describitur.

39. Se-

39. Secundus. 48. Opposita amoris divini
40. Tertius. recensentur & describuntur.
41. Quar tus. 49. Inter hec fedium crimen in-
42. Quintus. ordinata philautia:
43. Sextus. 50. Non minus hypocrisis:
44. Septimus. 51. Nec non superstitio.
45. Octavus. 52. Utilitas amoris divini.
46. Nonus. 53. Conclusio cum voto.

§. I.

Viso jam & considerato TIMORE DEI, conveniens est nostro instituto, ut AMOREM DEI, illi quippe annum semper contempletur. Hujus fundamentum est preceptum DEI, quod Deut. VI, 4. 5. Moses intimavit: *Dilegas JEHOVAM DEum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex omnibus viribus tuis.* Quod preceptum totidem pene verbis apud Evangelistas repeatitur, Matth. XXII, 37. 38. Marc. XII, 33. Luc. X, 37. 28.

§. II.

Quo in partes ejus distincte prius exponende veniunt, quam progrediamur ad porisimaticam ejus tractationem. Illarum autem prima est OBJECTUM DILIGENDUM, quod est *Domus DEus tuus*. Hoc, nomine DEI proprio atque essentiiali *fuit*, descendit, quo innuitur essentia DEI independens, æterna, summa, perfectissima, & immutabilis, a quo omnes creature essentia suam habent, vivunt & moventur, Act. XVII, 24-28. Ac adeo *Ens entium* philosophice dicitur. Hinc Moysi ex DEO querenti, *quod nomen ejus esset?* respondebit, *asher Asher ero, qui ero*, quod Johannes Apoc. I, 8. exprimit, ὁ ἦν, ὁ ἐστιν, καὶ ὁ ἔρχεσθαι. Nomen scilicet illud proprium, præteriti, præsentis & futuri temporis index est. Et,

C

quia

quia JEHOVA Spiritus infinitus *Job. IV, 24.* est incomprehensibilis, captumque humanum, qui finitus est, longe exsuperans. De quo passim Philologi & Theologi plura tradiderunt.

§. III.

Notanter autem ei jungitur אליהו Deus tuus, respectu scil. habito ad populum Israelicum, quem DEUS in peculium suum præ ceteris in mundo gentibus elegerat, eumque sibi tot sanctis legibus, beneficiis & miraculis obstrinxerat, promissione addita, ex eo, impleto tempore MESSIAM, mundi Salvatorem, proditurum esse. Confer sis B. Gerhardi *Exeg. L. II. de DEO & Atributis Divinis th. 13.* & Buxtorf. *Lexic. Talmud. fol. 94. seqq.*

§. IV.

Quia vero nomen JEHOVAH ELOHIM, DEO Triuni, Patri, Filio & Spiritui S. competit, *Jes. VI, 3. XLVIII, 16. LXI, 1. coll. Job. XII, 41. Ad XXVIII, 25.* haud obscurè inde colligitur; tribus Divinis personis in una divina essentia AMORE heic præceptum deberi. Quapropter etiam in N. T. Christus omnes, qui in numerum civium regni sui seu fidelium cooperari volunt, diserte mandavit, in *Nomine PATRIS, FILII & SPIRITUS S.* baptizandos; ac adeo hoc Sacramento baptismi cultui divino, qui præcipue in *Timore & Amore* ejus consistit, initiari debere. Quæ formula absurdæ est, si tria tantum nomina, & non distinctæ personæ in una essentia forent. Quæ Sabelliani, Eunomiani, Photiniani & Sociniani, famosi haeretici, heic febriculosa opponunt ratiocinia, alibi jam sepius confutata fuisse, notum est. DEUS itaque Trionus, solus summi boni nomine dignissimus, tum ob summam essentiæ suæ perfectionem, quæ per attributa sua exprimuntur; tum quod ob innumera bona & beneficia in nos contulit & collaturus est; imprimis vero, quod Filium suum unigenitum pro genere humano in mortem tradiderit, *Job. III, 16. Rom. VIII, 32.*

§. V.

§. V.

Exposito igitur OBJECTO AMORIS DIVINI, alteram
hujus praecepi partem, quæ est DE INDOLE AMORIS DIVI-
NI, quem fibi DEus depositit, explanabimus. Hæc voce πάθη
exprimitur, am̄vit; amore propendit in aliquam rem aut perso-
nam excellētēm, quam quis vehementer desiderat, atque cum
ea uniri, aut possidere cupit. Unde πάθη desiderium Græce
redditur ἀγαπήν, quod ab ἀγαπᾷ valde, & τάσει, acquiescere.
derivatur. Quæ enim quis amat, iis si potitur, acquiescit.
Est enim amor affectus unionis; adeoque hac voce desiderium
rei amatæ simul denotatur. confer. *Math. VI, 24. XXII, 37. I.*
Job. II, 15. Marc. X, 21. Apud Ciceronem plus est amare, quam
diligere. Aliis autem efficacior videtur vox diligere; quia hæc
includit & judicium elegantis, & actionem sejungentis ele-
ctam rem vel personam amabilem ab aliis rebus non ita grā-
tis. Hoc enim, teste Scaligero, valet vocula διτ., quia non
sine judicio probaverunt Amorem veteres sapientes; idcirco
electionem antecedere voluerunt. Enimvero hanc etymo-
logicam obseruationem relinquimus grammaticis aut criticis,
vocabulis interim amor, dilectio, & charitas, in hac tractatio-
ne, cum ecclesiasticis scriptoribus promiscue usuri.

§. VI.

DEUS autem omnium confessione mortalium est sum-
mum bonum; a quo omnia hominis bona in hac & futura vita
unice dependent, *Math. XIX, 17.* itaque intimo amore &
desiderio est dignissimus. Præsentum cum plurimæ etiam rati-
ones suppetant, quæ homines commovere & allicere ad a-
morem ejus debent: ipse enim prius nos amavit, i. *Job. IV, 29.*
& quidem ante mundi fundamenta jacta, *Ephes. I, 45.* & hunc
in credentes continuavit & continuabit in æternum. Ideo Fi-
lium suum unigenitum pro nobis in mortem tradidit, *Job. III,*
16. Jerem. XXXI, 3. Bona & beneficia inenarrabilia sunt,
quæ in homines contulit, & subinde confert, quæ nos ad a-
morem stimulare & excitare debent. Mundum aspectabilem
infinitis bonis resertum in hominis bonum & usum condi-
dit, cœlum & terra & omnia, quæ in eis sunt: ecce! undi-

que mihi dicunt, UT TE AMEM, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles, scribit Augustinus l.X Confess. c.6. Confer B. Arndii de vero Christian. l.i. c. 28.

§. VII.

L. C. Laclantius mundum contemplans libr. de ira. c. 13. Bona in regno natura, cum anteced. cap. de timore DEI egisset, eleganter describit ac velut in compendio recenset, quæ hominem ad amorem DEI excitare debent: Rursum ait, nobis ad superiora redeundum est, ut quia docimus a DEI factum esse mundum, doceamus, quare sit effectus. Si consideret aliquis universam mundi administrationem; intelliget profecto, quam vera sit sententia Stoicorum, qui ajunt, nostra causa mundum esse constructum. Omnia enim, quibus constat, queque generant ex se mundus ad utilitatem solidus hominis accommodata sunt. Homo utitur igni ad usum calefaciendi, & luminis, & coquendorum ciborum, ferrique fabricandi: utitur fontibus ad potum & ad lavacra, fluminibus ad agros irrigandos, terminandasque regiones: utitur terra ad percipiendam frugum varietatem, collibus ad conservanda vineta, montibus ad usum arborum atque lignorum, planis ad segetem: utitur mari non solum ad commercia, & copias ex longinquis regionibus ferendas, verum etiam ad libertatem omnis generis piscium. Quid si his elementis utitur, quibus est proximus; non est dubium, quin & celo, quoniam & celestium rerum officia ad utilitatem terre, ex qua vivimus, temperata sunt. Sol irrequietis cursibus & spatiis inegalibus orbis annos conficit; aut etiam diem promitt ad laborem, aut occidens noctem superinducit ad quietem; & cum abcessu longius ad meridiem, tum accessu proprio ad Septentrionem, hyemis & aestatis vicissitudines facit, ut & hibernis humoribus ac pruinis inuberitatem terra pinguefaciat, & aestivis caloribus vel herbide fruges maturitate durentur; vel quæ sunt in humidis incolla & serventaria, mitescant. Luna quoque nocturni temporis gubernatrix, & amissi ac recepti luminis vicibus mensura spatia moderatur & cæcas tenetris horrentibus noctes fulgore sue claritatis illustrat, ut aestiva itinera & expeditiones & opera sine labore ac molestia consici possint. Siquidem

Nocte

Nocte leves melius stipulae, nocte arida prata
 Tendentur.
 Afra cetera vel ortu, vel occasu suo terris stationibus opportu-
 nitates temporum subministrant. Sed & naviis, quo minus
 errabundo cursu per immensum vagentur regimēn p̄ebent, cum
 ea rite gubernator observans ad portum destinati litoris proveha-
 mur. Ventorum spiritu attrahuntur nubes, ut sata ambris
 irrigentur, ut vires feritus, arbusta pomis exuberent. Et bac
 per orbem vicibus exhibentur, ne desit aliquando, quo vita ho-
 minum sustineatur. At enim ceteras animantes eadem terra
 nutrit, & ejusdem fotu etiam multa pascuntur in usum homi-
 num, &c. Quae omnia bona homines ad amandum datorem ex-
 citare valent, Conf. Basilei. M. Orat. in Mariyem Julian. Tom. I
 fol. 338. & Job. cap. XXXVII. sqq.

§. VIII.

At vero multo majora bona sunt, que in divinis li-
 teris DEUS ipsum amantibus dare promisit, & quotidie elar-
 gitur, & post mortem constanter credentibus in Christum da-
 turus est, Ef. LXIV, 3. 1. Cor. II, 9. Is quidem, qui proprio Filiis
 non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo
 non etiam cum eo omnia nobis donabit, Rom. VIII, 32. O ineffa-
 bile donum! sed unde amoris donum hoc in nobis?

§. IX.

Origo hujus Amoris aut Dilectionis ipse DEUS, qui
 charitas est, ac in verbo suo eandem non solum subinde in-
 culcavit; sed & eam cum fide ex gratia fidelibus dare vult;
 ideo per verbum suum horum animos excitat, atque ad se tra-
 hit, Rom. V, 5. quo odium erga ipsum per lapsum homini
 connatum, Rom. VIII, 7. extinguitur, succeditaque amor dulcis-
 simus animi affectus, Ps. XIX, 9. & 11. Notanda hinc dicta
 amoris sua Apostolorum: Charitas ex DEO est, & unusquis-
 que amans ex DEO natus est, & novit DEum, Job. IV, 7. &
 qui DEum amar, jam ab eo agnitus est, 1. Cor. VIII, 3. Quae
 dilectio non in nudo actu, aut in affectu transitorio, sed in ha-
 bituali propensione ad DEum consistit. Itaque noxius val-
 de error vulgi est, quando autemant se DEum amare, non ta-

men de eo amando cogitant, & unum vel alterum amoris actum externum quandoque exercent, scilicet tumultuarie orando; templum frequentando, aut sine devotione cantando. Deus vero per omnem vitam amari vult, *Deut. XI, 1. &c. XIX, 9.* Sane si fidelis per amorem cum DEO uniri eoque frui cupit, cum Davide in eo unice delectationem suam querat, necesse est, *Pf. XVIII, 2, 3. XXXIV, 9. LXXXIII, 25, 26.* Confer *S. Maximi capita Theolog. tom. I. opp. f. 65r.*

§. X.

Sed verus Christianus seu regenitus & mente divinitus illustrata gaudens, qui bona & beneficia DEI tum spiritualia tum coelestia ex verbo ejus cognovit fideque expendit; maiorem multo benefiorum & honorum numerum, quae ad amorem DEI excitant, offendit; quam qui in nuda contemplatione hujus universi omnibus naturali ratione utentibus obvius est. Consideremus tantum DEI bonitatem & misericordiam in Christo, omnibus mortalibus demonstratam; ut per fidem in ipsum, aeternum salvi fieri queant. Quae sane gratia est immensa. Reputemus animo Spiritualia DEI beneficia, redemtionis, illuminationis, regenerationis, justificacis, sanctificationis aliaque dona gratiae immensa in Scriptura manifestata, que Paulus in omnibus suis epistolis predicit. Sane haec Christianum non possunt non commovere ad ardenterissimum DEI amorem, ut desideret cum DEO uniri eoque frui, *Pf. XLII, 2, 3. LXIII, 1. seqq. LXXXIV, 2, 3. Es. XXVI, 8, 9. conf. Bernhard. tractat. de diligendo DEO, fol. 943sq. opp. edit. Antwerp.*

§. XI.

Quapropter necessum est, ut amans DEum ipsum ex verbo suo revelatum recte ante agnoscat, inquit, Christianum credat, *Joh. XVII, 3. c. XIV, 6, 7. lqq. Augustinus L. III. de Doctrin. Christian. c. X.* scribit: *Charitatem voco motum animi ad DEO fruendum, DEO propter ipsum & per se, proxime vero propter DEUM.* Hoc sane absque intimiore cognitione & fide in DEum fieri nequit. Ideo *S. Johannes I. cap. IV, 7.* scribit: *Charitas ex Deo est, & unusquisque amans ex Deo natus est, & novis Deum. It.*

Qui

Qui Deum amat, jam ab eo agnitus est, i. Cor. VIII, 3. Apo-
stolus hac de causa a DEO petit, ut dirigat Thessalonicensi-
um animos in amorem Dei. Olim Pelagianorum error fuit,
hominem in statu naturae consideratum posse Deum vere di-
ligere, quem Confessores nostri in Apol. A. C. C. III. p. 83; sqq.
refutarunt.

§. XII.

Sane homo animalis, qui nondum est renatus & illuminatus, Deum averatur & velut odit, Rom. VIII, 8. Ac licet eum timeat; timor tamen ille tantum naturalis horror autelalis est, qui cum vero amore consistere nequit, i. Job. IV, 18, quod exempla Caini, Gen. IV, 13. Saulis, i. Sam. XXVII, 15. Iudee proditoris, Matth. XXVII, 3, sqq. testantur. Amor enim DEI est fructus Spiritus S. Rom. V, 5, qui efficit, ut fideles clamare ad ipsum queant, Abba Pater, Rom. VIII, 15, i. Job. IV, 7, quod ipse Paulus suo exemplo testatur, Rom. VIII, 39.

§. XIII.

Hoc amplius patescit, cum TERTIAM praecepti amoris PARTEM, quae QUALITATEM ejus intimius cognoscendam sistit perpendemus. Ea Deut. VI, 5, his verbis exponitur: *Di-*
liges DOMINUM ac DEUM tuum EX FOTO CORDE TUO,
EX TOTA ANIMA TUA, & EX OMNIBUS VIRIBUS
TUIS: quod Christus Matth. XXII, 37. ita repetit: ἀγα-
πήσεις κόρων τοῦ Θεοῦ σὺ εἰ δὲ τὴν καρδία σύ, νοῦ ἐν δὲ τῇ ψυχῆσσι,
νοῦ ἐν δὲ τῇ διανοίᾳ. Gerhardus in Harm. Evang. hæc
 verba ita exponit: *Per καρδίαν intelligit appetitum rationalem*
seu voluntatem, uti Deut. IV, 29. Iof. XXII, 5. quia cordis est
οἶκος & ὕστερος, per ψυχὴν appetitum sensitivum, cuius est ἔστι-
θύμος; diabolus vero intellectum interpretatur; quia Marc.
XII, 33. per Ἰησούστον explicatur; σύνεις autem est Iudicium
intellexus. Nos hic omisissemus, quæ Philosophi de anime humanae facultatibus viriumque ejus differentias inter se dispu-
 tare solent; cum B. Gerhardo etiam per COR intelligimus voluntatem cum viribus suis, in quibus amor imprimis consistit atque exeritur; hujus igitur vires omnes ad amorem DEI vertantur; per ψυχὴν animam, facultatem sensitivam &

vege-

vegetativam, ejusque vires vita reliquas, quæ omnes amore Dei impleri debent; tandem per *διάνοιαν intellectum* cum cogitationibus & ratiocinandi facultate ad amorem DEI directum. Inde videre est, quod omnes vires animæ (ut in *Deut. Cap. cit. & Luc. X. 25.* exprimitur) amore DEI impletæ & occupatae esse debeant, ut nihil earum sine eo relinquatur. ideo enim ter repetitur adjectivum, *in ἐλπὶ τῆς οὐερδίᾳ.* Quæ si quis altius animo expendit suo, profunditatem amoris intensivam & extensivam vix capiet animo; multo minus, ut poscitur apud Lucam, vita exprimere valebit. Bene *S. Bernardus de natura & dignitate Amoris c. X. fol. 1159. edit. Antwerp.* Quatuor, ait, in *DEum a nobis ut toti exiguntur affectus:* in eō, quod dicit, EX TOTO CORDE TUO, totam sibi vendicat voluntatem: in tota anima, totum amorem: in omnibus viribus virtutem designat charitatem, in tota mente fruitionem sapientie. Primum enim ad *DEum* voluntas animum moveat, amor promovet, caritas contemplatur, sapientia fruitur. Sapientia vero digna in mente constituitur; que cum ideo mens dicatur, quod meminit, vel eminet in anima; bene illud adscribitur virtui, cuius super omnes eminet virtutes anima. Est enim mens vis quedam anime, qua inhæremus DEO & fruimur: Fruitus autem hec in sapore quedam divino est, unde & a sapore, sapientia. Sapor autem iste in gustu quedam est: gustum autem istum nemo potest exprimere, nec est, qui meretur gustare. Gustate & videite, quoniam siuguis est Dominus, *PG. XXXIII.* Hoc gustu secundum Apostolum Petri I. cap. II. gustatur DEI verbum, gustantur etiam divitiae seculi venturi.

S. XIV.

Hinc igitur adparet, quod DEus in hoc præcepto amoris non solum externos ejus actus requirat; sed præcipue internos cordis illuminati intellectus & voluntatis sanctificare amori fluos; fidem puta vivam & spem preces devotas ex fide fluentes. Hi scilicet ipsi gratiora sacrificia, quam omnia in cultu Levitico holocausta, *Marc. XII. 33.* Causa est, quod DEO, quia Spiritus est, ipsi externa amoris opera sine viva fide, fiducia & caritate exercita, *opera operata* vocantur. Ideo

Ideo qui adorant eum, oportet ut in spiritu ac veritate adorent.
 h. e. tali animo, ut omnes vires ejus internæ ad DEmum ver-
 tantur, quod sine intentio & sincero amore fieri haud potest,
 Quapropter etiam Johannes i. Job. III. 18. poscit, ut non fo-
 lum verbis & lingua, sed falso & veritate amenus. Unde
 luctucentius patet, DEmum hoc præcepto a mortalibus re-
 quirere, quod imaginem DEI culpa nostra amissam, gratia
 sua juvante, restaurare debeamus, Eph. IV. 24. Hoc est in fide,
 amore ipsius intimo flagare, & pravam concupiscentiam
 mortificare: hanc enim Precepto X. Decalogi DEus vicit,
 נְאָמֵן, non facias concupiscere veitum. Quod est origi-
 nalis prava concupiscentia, Rom. VII. 7. Cujus instinctu actu-
 ales pravae concupiscentiae oriuntur, Jac. I. 14.

§. XV.

Sed inquires, quis mortalium tam rigorosam legem amo-
 ris servare potest? Ipse enim Apostolus Rom. VII. 4. seqq.
 usque ad v. 24. de sua hac in parte impotentia conqueritur;
 cum tamen esset renatus & illuminatus. Ast vero is etiam
 mox animum recolligit suum; scilicet quod per carnem, que
 etiam in regenito manet, & cum Spiritu pugnat, Gal. V. 17.
 id præstare haud valeat. Enimvero quod renatus ex viribus
 naturæ præstare nequit, id per Spiritum Christi inhabitantem
 facere potest; cum ille Spiritus Christi in renatis habitans fa-
 cta carnis mortificet, Rom. VIII. 13, adeoque id renato fit possi-
 ble per vires Spiritus & gratiæ; ut licet non perfectionem
 graduum amoris in hac vita, partium tamen ejus per Chri-
 stum adsequi valeat. Ideo Augustinus Tom. VIII. opp. f. 115.
 in Ps. LXIX. Nullus in hac vita pervenisse se dicat: Quis enim
potest tam perfectus esse, quam Paulus? Et tamen ait, Fratres,
 ego me non arbitror apprehendisse. Unum autem, que retro
 oblitus, in ea, que antea sunt extensis, secundum intentionem
 sequor ad palmam superne vocationis DEO in Christo IESU.
 Vides Paulum adhuc currere, & te jam existimas pervenisse?
 Adhuc Paulus in via est, & tu te putas in patria? Ille dicit
 nondum se perfectum, & tu de perfectione gloriaris.

D

§. XVI.

100

§. XVI.

Heic igitur distinctio Theologica inter 7 servare legem amoris divini evangelice & *xar' ianisav*, & 7 servare eam legaliter *z xri dñi beati* legis a Moysi requisitam, *Deut. XXV, 26. Ps. CXIX, 21 Gal. III, 10* notanda: prius affirmatur, posterior negatur. Nam quod impossibile erat legi in homine irregenito, quum viribus esset substitutus in carne, DEus suo Filio missi in similitudine seu in forma consimili carni, peccato obnoxiae, idque pro peccato condemnavit peccatum in carne, *Rom. VIII, 3. 4. Quod Aegid. Hannius ad 1. Job. III, 22. clariss expedit: DEus, ait, ob consonmatam obedientiam Filii sui, nunc beneficio favore acceptat electorum suorum inchoatum obsequium, nec eo, quo Moses rigore, severitate ac perfectione exigit: ideoque hæc Christi precepta, ut Johannes hac epibola proficitur, p̄is, qui aguntur Spiritu, gravia aut difficultia non sunt, 1. Job. V, 2. sq. Sed impletu possibilita, sicut scriptum est, *Gal. V, 4. VI, 2.* invicem aliorum onera portate, & sic implete legem Christi &c. Unde B. Lutherus in *Psalm. Ll. Tom. III. Opp. Witteb. Lat. fol. 508.* scribit: *Volumus Decalogum servare & præstare, sed cum larga, b. e. vera evangelica dispensatione five distinctione, quod in A. C. Apol. c. II. p. 83. 85. 90. & 92. luculenter declaratur, ac contra Pontificios assertur, conf. B. Gerhard. Loc. de Lege §. 181. it. Harn. Evang. c. 176.**

§. XVII.

Atque hoc contra Pontificiorum errorem manifestum in *Concil. Trident. Sess. VI. cap. II. can. 18.* obseruandum. Nam id anathema Evangelicis Lutheranis dicit: *Siquis dixerit, DEI precepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibile, Anathema sit.* Item *can. XXI.* *Si quis dixerit, Christum IESUM a DEO hominibus datum fuisse, ut Redentorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, eurobediant, Anathema sit.*

§. XVIII.

Ait vero aliud est, *legem amoris perfecte impleere*, quod solus Christus pro nobis fecit, *Matth. V, 17.* aliud est, *xar' ianisav* evangelicam, legem servare; quod est regenitorum, qui

qui Redemptoris nostri J. C. perfectam impletionem & satisfactionem cum merito suo, vera fide in ipsum collocata sibi adlicant, per quam illa renato ex gratia imputatur ad justitiam, Rom. IV, 5, 6. Atque hoc modo renatum, legem servare posse, nemo Lutheranorum Orthodoxorum negat. Nam S. littere expresse hoc edocent, Job. XIV, 15. 21. XV, 10. 1. Job. II, 3, 4. III, 22. V, 30. conf. Aug. Conf. art. XX. Apol. eiusdem c. III. p. 83. seqq. & p. 85. Profitemur igitur, quod' necesse sit inchoari in nobis, & subinde magis magisque fieri legem. Et amplectimur simul utrumque, videlicet spirituales motus & extera bona opera. Falso igitur calumniantur nos adversarii, Pontificii, quod nostri non doceant Bona Opera, cum ean non solam requirant, sed etiam ostendant, quomodo fieri possint &c. Hinc in Germanica editione A.C. art. XX. scribitur: Wer nicht recht vom Glauben lehrt, kan auch nicht richtig von Versen schreiben; denn obne die Hülfe Christi kan man doch Gottes Gebote nicht halten; quod B. Mart. Chemnitius uberius de impletione perfecta, in Exam. Conc. Trid. Loc. X. de B.O. Quest. III. An opera renatorum in hac vita sunt perfecta, ut legi divinae plene, cumulate & perfecte satisfaciantur? docet: ubi Sophisticationes & Phrasen Andradii & Concilii Tridentini l.c. luculenter discussit, atque possibiliter & impossibiliter servandi & implendi legem prolixius evolvit. vid. Ex. Conc. Trid. edit. novæ Francof. fol. 255. sqq. adde B. Speneri Tabb. Hodosophaicar. Dannhaueri Append. apologeticam, qua haec questio, perspicue & solide ex divinis litteris ac vere orthodoxorum sententiis resolvitur, nam confusos adversariorum clamores de impletione legis divinae dispulit, & adversarios suos impudentes simili confudit. Quod autem Pontificii in citato concil. Trid. addunt; Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse Redemptorem, cui fidant, non etiam LEGISLATOREM, cui OBEDIANT; id inquam, ex pudenda ignorantia fidei salvifica, & legis vero usu & scopo factum. Christus enim non novam legem, quam Christiani implere debent, dedit; sed legem veterem implevit pro illis, & verum ejus usum interpretatus est, Matth. V, 17. 19. sqq.

D 2

S. XIX.

§. XIX.

Qui igitur inter renatos, legem amoris divini servare student, ut par est; illi itidem pro mensura gratiae acceptae discernendi sunt. Alii enim dicuntur *inchoantes*, alii *pro gredientes*, seu *provectiores*, alii *τέλεοι perfecti* vocari solent. Ut enim fides sua habet incrementa, ita & renovatio & fluidum sanctimoniae, Timoris ac Amoris DEI suos habet gradus, ut unus altero (comparative loquendo) sit perfectior. Confer B. Schaff. Schmidii colleg. Bibl. in Numer. c. XV, 39, 40. D. Rappoldi, in 1. Job. III, 7. Opp. Theolog. p. 311, & D. Calovii Bibl. illustr. in Cap. V, 1. Job. versi. 3.

§. XX.

Etenim sunt inter renatos, gradus sanctimoniae, qui pro mensura gratiae a DEO concessae *incipiunt*, *progrediuntur* & ad *perfectionem* fervandi legem amoris contendunt, Hebr. V, 12, 13, 14. & c. VI, 1, 2, 3. Matth. V, 48. Col. I, 11. Cor. XIV, 20. Atq; hinc renati post regenerationem, vel *incipientes*, vel *progredientes*, vel *perfecti* audiunt: quorum illi inchoant, isti pergunt & continuant; hi vero majoribus gratiae auxiliis instructi ad perfectionem in Renovatione vita sue a Christo requisitam (Matth. V. v. ult.) contendunt, ac συνεργητῶς respectu scil. ad priores gradus habitu, dicuntur *τέλεοι, perfecti, integri*, quod legem DEI *evangelice* servare possint, licet non ad apicem rigoris legis Mosaicae, aut perfectam legis impletionem perringere queant; utpote quod in hac vita etiam regenit is impossibile manet.

§. XXI.

Præterea quod τέλεοι perfectos hac in parte attinet, notandum est, hanc vocem in N. T. de sincere obedientibus divinae legi usurpari, Matth. V, 48. c. XIX, 11. Jac. I, 4. 1. Job. IV, 18. ubi ἡ τέλεια δύχεται dicitur, quod foras ejiciat metum; inde Hebr. V, 14. vox τέλεων de renatis dicitur, qui Latine *perfecti* appellantur. Confer 1. Cor. XIV, 20. Sed ad summum gradum dilectionis in hac vita nemo affurgere valet.

§. XXII.

Proinde τέλεσται, *perfectio*, distinguenda est, in simpliciter aut

aut absolute talem, & comparative aut secundum quid talem sic dicunt; quarum illa non altiores admittit gradus, ut quo pro-grediatur, non habeat. Ita Bachymeres in cap. IV. Dionysii Areopagite, vulgo dicti, de divin. Nominibus fol. 519. τέλειον ἔστι, ὁ μήτε ἀνέγει μήτε μείνεται. Confer Gregor. Nysseni Orat. IV. contra Eanomium. tom. II. fol. 552. Quem in modum etiam Chrysostomus Homil. XXIII. in Genesim docet; quod hec perfectio in nullo etiam renato, in hoc quidem seculo obtineri possit, id. Clemens Alexandrinus L. IV. Stromat. f. 525. agnoscit: τέλειότα τις καὶ ὡς ἴνταβης, καὶ ὡς ὑπερονυμικός, καὶ ὡς ἐγνατής, καὶ ὡς ἔργατης, καὶ ὡς μάρτυς, καὶ ὡς γραπτής. πάντα διάμητος, εἴ τις, εἴ τις αἰνθέτων, οὐτι ἀνθετῶν. πλὴν μόνον οἱ ἡμῖν αἰνθέτων ἐνδοσάμενοι, καὶ τοι πατέρα νόμου Φιλόν. τις δὲ εἰ τέλειος; οὐδὲ ἀποχήν κανεὶν ἐπαγγέλλεται. Et Marcus Eremita de Temperantia: Αἰμην ἄδεια εἰδον χριστιανὸν λέξειον.

§. XXIII.

Scrupulus tamen a quibusdam heic moveretur ex dicto Christi, Matib. V. 48. ἔστεδε ἐνώπιος τέλεοι, ὅπους ὁ πατήρ ὑμῶν ὁ ἵνα τοῖς ἐργασίοις τέλεοι ἔστι. Quod etiam Moses Deut. XVIII. 13. poscit: *Perfectus eris coram Domino Deo tuo.* conf. Levit. XI. 44. I. Job. I. 7. Sed Respondemus, τέλεοι εἶναι in his & aliis Scripture locis accipiendo est κατά τι, secundum quid; nempe de debito studio & iñsū cum precibus ad perfectionem adsur-gendi, & pro mensura gratiae date contendendi, ut perfectione-nem a Christo partam per vivam fidem in ipsum consequamur, Ephes. IV. 13. 14. 15. Huc B. Glassius Philol. S. L. III. Trad. II. Can. XLVII. Non injungitur a Christo perfectionis nostre cum perfectione divina aequalitas, (quae impossibilis) sed perfectionis, de qua loquitur, necessitas: Ut quemadmodum Pater celestis & bonis & malis ex amore benefacit v. 45. sic & nos amicos & ini-micos diligamus, itisque benefaciamus; vers. 44. 45 id quod a Christo perfectione dicitur, in comparatione charitatis illius nūrekes & dimidiatae, quam hypocritis & publicanis adscribit, v. 46. 47.

§. XXIV.

Unde Gregor. Nyssenus Orat. I. in verba DEI, faciamus ho-minem, Tom. I. fol. 150. Τι ἐστι χριστινομός; ὁμολογεῖ κατὰ τὸ

εὐδαίμονος εὐθύνης Φύσει; quatenus scil. euis homo capax est. Hoc sensu Clemens Alexandr. liber. VII. Stromat. fol. 753. & laudatus modo Nyssenus de vita Moysi fol. 753. perfectionem Christianam per σωτήριον Θεόν, vel Θεαν Κυρίων μέντοι describunt. Nam Petrus etiam 2. Epist. c. I, 3. 4. renatos comminnet ad hanc σωτήριν & θεαν contendere. Sic ut omnia nobis divine virtutis ipsius, qua ad vitam & pietatem donata sunt per cognitionem ejus, qui vocavit nos ad gloriam ac virtutem, scilicet per Philanthropias καὶ χρεόπτηα.

§. XXV.

Amorem hinc divinum, veteris ecclesiae doctores, & post S. Bernhardum Sermon. LXXXIII. super Cantic. fol. 820. opp. edit. Anverp, recentiores scholastici ac mystici Theologium distinxerunt in PVRVM, & IMPVRVM, quem aliqui cum Bernardo dixerunt mercenarium. De utroque heic breviter, ut rectius intelligatur controversia, de eo in Gallia in primis ante annos non ita multos agitata, dicemus. Sed cum voces PVRVS & IMPVRVS sint ambiguæ, illarum ambiguitas primum evolvenda est. Purum scilicet a Philosophis in physica doctrina usurpatum de corpore simplici, quod ex rebus diversæ nature nihil admixtum habet: ut sunt elementa in suo statu naturali considerata; item alia corpora, ut stellæ aurum purum, & similia: in morali autem seu ethica doctrina, purum quid dicitur respectu animi ejusque virtutum, cui nihil adhaeret vitiū, aut maculae: ut homo sceleris purus, aut animus vera virtute praeditus. Sic pura etiam doctrina est, qua non traditionibus aut opinionibus humanis ac fabulis contaminata est, qualis Pontificiorum & aliorum pseudorthodoxorum doctrina erroribus inquinata.

§. XXVI.

Hinc cum de amore DEI puro queritur, puritas dogmatica & moralis denotatur, que ex conformitate cum lege & voluntate DEI, quoad omnes circumstantias estimatur; ac adeo nil falsi aut virtiosi in se habet. Qualis amor purus fuit protoplatofrum in statu integritatis, & beatorum in celo est. At post lapsum inter mortales puritas talis perfecta animorum exultat. Quod Jobus

Jobus c. XIV, 4. docet: Quis dabis mundum ex immundis? Non quisquam. Hoc etiam Hieropsaltes Psal. LI, 9. & Esaias c. I, 15. volunt. Puri tamen renati & fideles vocantur, quod sanguine Christi 1. Job. I, 7. & baptismo Ebr. X, 22. purificati sunt, & per fidem haut simulataim pura conscientia Deum amare eique servire possint, 1. Timoth. I, 5. 2. Tim. I, 3. 1. Petr. I, 22.

§. XXVII.

Quando igitur in S. Scriptura regeniti ex Baptismo & verbo DEI puri aut sancti vocantur, id de inchoata sanctitate, non consummata, quae in celo expectatur, accipiendum est. quod in *Apologia Aug. Confessionis c. III. de Dictione & implementatione legis*, fulius explicatur. Nam regeniti in hac vita nondum ab omni prava concupiscentia liberati sunt, etiam si ejus dominium per baptismum sublatum sit, Rom. VI, 6.7.8.9. Radix tamen ejus non penitus sublata est, ut Apostolus in sequente cap. VII. Rom. vers. 14.15. seqq. & 24. testatur. Nam lucta carnis & spiritus Galat. V, 5. in renatis adhuc supereft.

§. XXVIII.

Imperfectus igitur adhuc renatorum amor. est divinus, & licet purus adpelletur; Nondum tamen ad *axiū* aut ad *sa-*
tiū in hac vita pertingit. Unde in S. literis subinde monemur, ut amor divinus in nobis cum fide & spe increbat, & incrementa sumat. *Coloss. I, 28. c. III, 10.14.* confer *Apolog. August. Conf. cIII, p. 134.*

§. XXIX.

Hinc S. Bernhardus tractatus de diligendo DEO, fol. 951. 952.
seqq. Opp. quatuor gradus amoris constituit, quos dum expli-
cavit, quartum & ultimum gradum, quo homo Dominum
Deum nostrum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex to-
ta virtute sua diligere debet, ita scribit; hoc in hac fragili & æru-
mnola vita, impossibile esse, fol. 954. Donec (pergit *absurpta*
sit mors in victoria, & noctis undique terminus lux perennis in-
vadet & occupet usquequaque, quatenus & in corporibus gloria
caelestis effulget, non possunt ex toto animæ seipso exponere &
transire in Deum, nimisrum ligate corporibus etiam tunc esti non
vita vel sensu, certe affectu naturali; ita absque his nec velint,
nec

nec valeant consummari. Cum ante dixerat: *Impossibile namque est tota hæc ex toto ad DEum colligere & divino infigere vultui, quamdiu ea huic fragili & verunno corpori intenta & distincta necessæ est subservire. Itaque etiam in corpore spirituali & immortali, in corpore integro placido placitoque & per omnia subiecta spiritui, speret se anima QUARTUM adprehendere amoris gradum, vel potius in ipso adprehendi; quippe quod DEI potentia est dare cui vult, non humana industria assequi.* Tunc, inquam, summum obtinebit facile gradum, cum in gaudium Domini sui promptissime & avidissime festinante, nulla jam retardabit carnis illecebra, nulla molestia conturbabit. Putamusne tamen hanc gratiam vel ex parte sanctorum martyrum affectos in illis adhuc victoriosis corporibus constitutos? Magna vis proorsus amoris illas animas introrsum rapuerat que ita sua corpora foris exponere, & tormenta contempnere voluerunt. At profecto doloris acerrimi sensus non potuit non turbare serenum, et si non perturbare. Quid autem jam solitas corporibus immersas ex tanto credimus immenso illi pelago eterni luminis, & luminosæ eternitatis. Et. Hæc Bernhardus.

§. XXX.

At illufrissimus Gallus Franciscus de Salignac Fenelon, Cameracensis Archiepiscopus, vir magni nominis, & non contenta pietate insignis, libr. *Explication des Maximes des saints sur la vie intérieure*, **QUINQUE GRADUS** divini amoris seu genera statuit. *Quorum primus est dilectio DEI* pure servilis, quando quis DEum ob bona & beneficia temporalia, quæ tamen caduca & fugacia sunt, diligit: *Secundum genus*, vel potius gradus dilectionis est amor concupiscentiarum; cum quis DEum, ut medium & instrumentum felicitatis sue tantum amat, ac adeo non propter seipsum, sed propter aliud, scilicet bonum acceptum aut sperandum: qui alias mercenarius dicitur: *Tertium vocat amorem spei*; cum quis DEum propter ipsum quidem amat; sed ita, ut felicitatis sue amor primum adhuc obtineat locum: *Quartum dicit eum amorem esse*, cum quis DEum quidem ut absolutissimum summum bonum propter se & in se præcipue diligit; sed ut felici-

ut felicitatis ac beatitudinis sua quoq; ipsius fruitione consequēt̄ ratio includatur & habeat̄ur. *Quintum & ultimum* denique genus ipsi est; quando quis nullo hic commodi aut felicitatis respectu habito, DEum in se & propter seipsum ut omnium bonorum bonum summum atque ultimum diligit, conser. Autoris anonymi amici Salignaci *Apologie de veritate Amoris de Dieu* libr. 2. c. 1, 23.

§ XXXI.

In hac recensione generum vel potius graduum divini amoris recte celeberrimus Theologus D. Buddeus in *Theologia sua Morali* I, i, Sect. IV, c. 1, §. 123. bene animadverit; *Quartum* gradum jam nominatum, perperam pro impuro amore habet; cum DEus pro immissa sua bonitate & benignitate, in sacra scriptura pollit gratis amari, tot honorum promissionibus alieniens mortales ad sui amorem reciprocum. *Quintus* autem gradus amoris puri, quem Salignacus statuit, purum commentum est, quod ipsum naturam ac indolem omnis amoris subvertit atque tollit. Quis enim citra ideam bonitatis ad nos relata, DEum omnium bonorum maximum amet; cum non nisi bonitate intellectui cognita, voluntas ad amandum exciteatur. Sane ipse DEus in lege & evangelio cultui suo annexuit promissiones bonorum & beneficiorum in hac & futura vita, danda diligentibus se & obedientibus preceptis suis. *Credendum igitur ei, qui ad eum accedat, & DEum esse,* & SVI STVDIOSIS PRAEMIA rependere docente Apostolo Ebr. XI, 6. & Johannes i. Epist. IV, 19. inquit, *amemus DEum, quoniam prior nos amavit.* 1. Timoth. IV, 8. Certe sancti ac omnes martyres DEum amantes respectum ad futuram felicitatem promissam habuerunt. Quorum catalogum Paulus Ebr. XI, recenset.

§ XXXII.

Erravit ergo laudatus *Salignacius*, quod in *quinto* amoris gradu contemplando modum excelsit; statuens & requirens ad amorem DEI purum, ut homo sine respectu felicitatis & æterne beatitudinis in Scriptura S. promisit eum amare teneatur, ut si etiam DEus suos amatores in perpetuum infelices efficiat.

cere velit. At vero DEUS O. M. in S. Litteris cum juramento afferuit, se nolle mortem peccatoris, sed salutem animae ejus eternam, *Ezech. Cap. XVIII, 23. Cap. XXXIII, 11. 1. Timoth. 1, 15.* Salignacus vero in lectioine mysticorum doctorum multum veratus, & cetera pietatis amans; eorum abstrusas de amore DEI opiniones & commentaria ex iis haurit, eorumque stylum portentosum quodammodo imitatus, suspicunt adverbari ius se redditum Fanaticismi & Quietismi in Gallia & Italia maxime exosi. Accessit argumentum theologicum ab invidia ductum, valde in controversiis de rebus sacris nobis frequens. Negari enim nequit, quod verba ejus sepe detorserint in alium fenum, & opiniones peregrinas affuxerint. Quod vir eruditissimus Andreas Fridr. Kanigmannius in egregia disputatione Kilonii anno 1713, publice proposito, de Amore DEI pro & mercenario, controversia Salignaci & Bosvieri solide edocuit simulque historiam ortus, progressus & exitus decantate huic controversia inter Gallos doctissimos, Bosvetum & Salignacum seu Fenelonum agitat, cum momentis suis, velut in compendio accurate opposuit, ut dilucidatione ulteriori haut opus esse videatur, confer B. D. Lichtenbeidli, Philosophi & Theologi eximii tractatum An. 1699. Lipsiae evulgatum de consilio veri & falsi circa amorem purum, in causa Archiepiscopi Camerac. accusatum, & de interesse veritatis in causa laudati Archiepiscopi per Bullam Pontificiam damnata, initiatum.

§. XXXIII.

Nos vestigiis S. Scripture insistentes, pro puro amore DEI non habemus primo eum, qui carnali amore adhuc mixtus est, ac in pugna carnis & spiritus sepe succumbit, *Galat. V, 17.* ut caro prævaleat. Deinde, si homo amorem soli DEO debitum cum creaturis & rebus aut personis amabilibus aliis dividit, magisque propendet in amorem mundi, quam DEum super omnia diligendum. Quod faciunt cultores Mammonis & voluptuarii, insuper habentes monitum Apostoli, i Job. II, 15. nolite diligere mundum, neque ea, que in mundo sunt, &c. item Jacob. I, 14. 15. Tertio, qui amoris proximo debiti oblitus, ore

ore tantum, non facto eum diligunt, i. Job. III, 28. *Quarto*, si quis DEum propter commoda & utilitatem rerum temporaliū, quibus infiant mundani homines, tantum diligit. Qui amor nec purus, nec perfectus est, sed mercenarius a Bernardo vocatur; quem tamen regeniti ex viribus gratiae acceptis exquere possunt, certe debent.

§. XXXIV.

Etenim qui gustant bona spiritualia ac celestia, que Christus, que Apostoli, & ante eos, Hierospaltes Ps. XXXIV, 9. prædicarunt, a DEO piis danda, bona temporalia, que cadaūca sunt, fastidire tenentur, ut ab amore mundi abstracti, soli DEO vivant, ac qui cum Paulo, Philipp. C. III, 13, 14, quo retro sunt (in mundo) obliviscantur, ad ea vero, que a fronte sunt, ad destinatum scopum versus ferantur ad palmarum superne, vocationis in christo Iesu, qui nos cum Patre suo prius dilexit: & se pro nobis in mortem dedit, i. Job. IV, v. 10. seqq. ubi opus est, constantia fidei & spei, quam DEus potenteribus & diligentibus se dare promisit.

§. XXXV.

Preinde amor purus, ut ex iam dictis patet, ille est, quo quis renatus ex viva fide in Christum, DEum Triumnum, ut verum summum & eminentissimum bonum propter se omni amore dignissimum sincere diligit, ejusque præceptis pro mensura gratiae concessâ obediens contendit. Quia in eo summa beatitudo est, in eo acquiescit; adeoque respectus ad felicitatem spiritualiem ac celestem ab eodem sperandam non excludit. Amor enim, in quo nullus plane respectus ad beatitudinem habetur, quam amans tamen semper sperat, & desiderat, otiosæ imaginationis commentum est, praesertim si ecclesiastica perflatio accedat; se in DEum absorberi & Deificari per S. Ieron., ut S. Maximus loqui amavit. Frustra in hanc persuasione allegatur dictum i. Job. I, 3. Nam communio fidelium cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo, de unione mystica, per fidem fit, quam B. Hulsemannus noster describit, Breviar. Cap. XI, V. Suppl. thesi 1.

§. XXXVI.

Equidem *Hierosaltis* Ps. LXXXIII, 25, seqv. videtur talem amoris divini gradum sovisse, quo cœlestium ac terrenorum honorum cura plane excludatur; ac adeo nullus amplius respectus aliorum DEI beneficiorum ab amante DEO ad illa habeatur: ita enim interpretatio B. Lutheri Germanica habet: Wenn ich nur dich (GOD E) habe, so frage ich nichts nach Himmel und Eden: Wenn mir gleich Leib und Seele verschmachtet, so bist du doch Gott allezeit meines Herrsens Trost und mein Theil. Quæ B. Seb. Schmidius ita ex Ebræo idiomate latine reddidit: *Quis mibi in celis?* & *tecum non delector terra.* Ast vero divinus Psaltes h. l. ex fiducia in DEI auxiliū, quod sibi pluris sit ac aestimetur, amerurque, quam auxilia & bona omnium creaturarum in cælo & terra; ideo vers. seq. 28, subiungit statim: *Propinquitas DEI mibi bona est dum pono in fœbram fiduciam meam, ad evanndanda omnia opere riuat.* Quo quidem fidei & amorem in DEum super omnia bona alia diligendum attestatur; sed non excludit in eo relationem & relpectum ad bona & auxilium DEI simul a se habitum esse, quod B. Geierius Comment. in h. l. fol. 1308, seqq. luculentius explanavit, qui evolvi meretur.

§. XXXVII.

Nos mis̄a heic ulteriore contemplatione amoris, ex B. Dannhaueri *Ilodosophia plenom.* VI. ejus definitionem subiungemus, ex qua summatim ejusdem indoles & natura intelligi potest: *Amor, seu dilectio DEI est virtus nobilissima, qua DEum, summum bonum, sui ipsius causa, homo totus ex omnibus viribus ferventissime & constansime amplectitur, atque diligit, ejus gratia sibi renunciaturus, quevis passus incolumida, que illi placent, summa cum alacritate presiturus, & semetipsum ei in sacrificium exhibitus.* Hæc definitio summa dictorum jam complectitur.

§. XXXVIII.

Ut ergo praxis amoris divini plenus percipiatur, charaderes θεοφάνια subjungere juvat. Quorum primus est, DEum optimum maximum omnibus aliis bonis, que in mundo

mundo amabilia videntur; illis semper præferre, eumque unicæ maximi astimare & colere, eodemque ut æternum nobis frui detur enixe cum devotis precibus allaborare. In hac Στοιχίᾳ acqueivit Hieropaltæ Ps. LXXIII, 25. 26. & Apostolus Rom. VIII, 18. 39. Nam mihi (ait) persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsencia, neque futura, neque sublimitates, neque profunditatem, neque rem aliam creatam posse nos separare a charitate DEI, que est in Christo JESU Domino nostro. Et quanquam hic Apostolus precipue ad charitatem DEI activam respicit; tamen amor ipsius, qui dicitur passivus, quo renati cum in fide amplectuntur, excludi haud potest. Vera enim amicitia, quæ inter DEum & animam fidem, est amor mutuus, Job. XV, 12. 13. 14. Cum hoc amore, quem aliqui concipiunt, vocant, amor obedientia præceptorum divinorum coniunctus est. De quo Ep. LVI, 6 loquitur ad diligendum Nomen JEHOVÆ, ut sint ei servi, &c. Job. II, 3. 4. hec est dilectio DEI, ut in precepta ejus servemus. Ideo Christus Job. XV, 10. dicit: si mea præcepta servaveritis, manebitis in amore meo, ut ego mei Patris præcepta servavi, & in ejus amore maneo.

§. XXXIX.

Hinc alter amoris divini charactere indivulso nexu, obedientia præceptorum divinorum sequitur. Unde Christus Job. XIV, 15. 21. ait, præcepta mea servate, qui habet mandata mea & servat ea, ille est, qui diligit me; qui autem diligit me, diligitur a Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum, addit cap. XV, 7. 8. 9. sqq. Qui enim dicit, se nosse eum, & præcepta ejus non servat, mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem servat verba ejus, vere in hoc charitas DEI perfecta est: in hoc scimus, quoniam in ipso sumus. Job II, 4. 5. II. ep. Job. v. 6. Quo autem sensu quis præcepta DEI servare queat, supra exposuimus. Finis enim præcepti est caritas ex corde puro & conscientia bona & fide non fidia, 1. Timoth. I, 5.

§. XL.

Inde tertius character est fuga peccatorum imprimis pro-

DE TIMORE ET AMORE

38

æreticorum; *Quisquis enim in DEO manet, non peccat.* 1. Job. III, 6. 9. *qui servat ejus precepta, in illo manet, & ipse in eo,* v. 24. Fides enim viva & spes Amore DEI includuntur: illa autem cum Amore mundi, qui peccatis immeritus est, stare nequit. confer Psalm. CXIX, 128. 3. Job. v. 1. Hæc qui non capit, prima elementa Christianismi, ut dicat, necessum habet.

§. XLI.

Quartus character est, veritatem evangelicam, quæ divina est, seclari, profiteri, & contra adversarios tueri atque propugnare, Ps. CXIX, 138. sq. Precepisti iustitiam testimoniorum tuorum & fidem tuam valde, Prov. XXIII, 23. Veritatem eme & non vende. Nam cognitio veritatis non tantum requiritur, Tit. I, 1. sed etiam ejusdem praxis in Amore conspicua sit, necessum est; quem ideo S. Johannes in Epist. subinde commendat atque inculcat. Atque hoc spectat glorificatio divini Nominis, hoc est laudare & celebrare ejus immensam bonitatem, veritatem, iustitiam, sanctitatem gratiam, & admirandam providentiam. Quæ gloria non tantum in verbis, sed etiam factis, quibus internus animi cultus coram aliis proditur, nomenque & benignitas DEI ac maiestas ejus glorificantur, Matth. V, 6. 1. Petr. II, 12. consit. Quod fit per misericordiam & caritatem sapientiae, iustitiae, misericordie & id genus aliorum attributorum, quæ reperiuntur in DEO, ac in Psalmis Davidicis ab Hieropalte celebrantur.

§. XLII.

Quintus est diligere proximum: Si quis dixerit: diligo DEum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, DEum, quem non vider, quemodo diligere potest? 1. Job IV, 20. Christus ideo amorem proximi cum Amore DEI connectit, Matth. XXII, 38. 39. Hoc de Amore DEI PRIMUM & MAGNUM preceptum vocat, secundum autem est hunc simile: diliges proximum tuum, ut te ipsum. Quisvis simile illud dicitur non ratione objecti, sed obligationis, quod æque homines, ut primum illud de amando DEO, obligent. Confer Levit. XIX, 19. Marc. XII, 31. & 1. Tim. I, 5. 1. Job. III, 17. cap. V, 1.

§. XLIII.

S. XLIII.

Sextus character est, fugere societatem, & quantum licet, familiarem conversationem cum manifestis improbis. Hunc characterem Amoris atque Timoris Divini Hieroplates Psalm. I, 1. 2. 3. XXVI, 4. XV, 4. poscit: *Odi cætum maledictorum, & cum impiis non sedeo. Jerem. XV, 17. Ps. CXIX, 63. Prov. XIV, 9.* Nam mores bonos corrumpunt commercia (*κινδύνοις κακοῖς*) cum malis, i. Cor. XV, 33. conf. II. Joh. vers. 10. 1. Cor. V, 11. 2. Tim. III, 5. Prov. I, 10. Exempla hujus corruptionis in historia & vita communis ubivis obvia sunt. Quid enim tristius est, quam verbo DEI abutit & pietatis studiofis illudere. At DEus, quem sine sanctimonia nemo videbit, illudi sibi haut patitur, Galat. VI, 7.

§. XLIV.

Atque hic præcipue spectat *abnegatio sui*; Septimus quippe character, quem Christus discipulis suis mandavit servandum, Matth. XVI, 24. Marc. VIII, 34. Luc. IX, 23. 24. Non vero dixit, abnegandam duntaxat superbiam, crapulam, ebrietatem, luxuriam, divitias, possessiones, honores, mundi voluntates; sed jubet etiam, ut nosmet ipfis abnegemus, proprios scil. adfætus, & quicquid in nobis operatur Spiritus Adæ, carnem nostram cum vitiis & concupiscentiis suis. Durns est quidem hic sermo carni & sanguini; sed in hoc Christi fides viva & sublimior Christianorum Philosophia conspicitur, quam carnales non percipiunt; imo rident, quibus sanior mens adprecanda est vid. Buddei Theol. Moral. libr. I. cap. I. Sect. IV. §. 90. ff. Confer sis etiam Joh. Bone Principia & documenta vite Christiana P. I. §. 29. & II. §. 3. 4. ff. it. B. Arndii V. C. libr. I. c. XV. & I. II. c. X.

§. XLV.

Octavus inde character est, *sese verbo DEI oblectare*, id libenter legere, audire, atque de DEI ejusque infinita bonitate, perfectione & de rebus divinis reverenter & timore DEI loqui, ac contemptores ejus vitare cane & angue pejus, Rom. XVI, 17. Nihil enim magis honoris & amori Numinis Divini repugnat, quam contemptus aut abusus verbi divini ad res ludicas aut jocos, quibus in conversatione empæcte non raro profa-

profanos animos oblectant ac aliis scandala exsiccanda præbere solent.

§. XLVI.

Nonus est patientia in cruce & serumis vita hujus ferendis, qua Amor DEI demonstratur, Ebr. X, 16. Apostolus hinc de renatis loquens docet, quod patientia nobis reddit honestatem DEI perspectam: ista enim spiritualem patientiam parit, spem nostram alit, quam nuncquam nos frustratur, Rom. V, 3. 4. 5: quocirca idem Rom. XI, 12: ad patientiam exhortatur, atque exemplis sanctorum, qui patientia vicere mundum commendat, Ebr. XI, 17, XXI, 13.

§. XLVII.

Decimus est humilitas, que, ut S. Bernhardus scribit, est virtus, qua verissime sui cognitione, homo sibi ipsi vilefcit. Abrahamus postquam ad DEum accessit propius, mox cognovit, se terram esse & cinereum. Tunc enim tempus est, ut creatura suum factorem adpellat, quando agnoscit, quam ipsa sit nihil. vid. Philon. *Quod Deus sit immutabilis*, fol. 247. & 379. *Humilitas scilicet ex abnegatione sui orta, superbiam & philaviam reprimit, & quicquid boni in se homo deprehendit, DEO acceptum fert*, 1 Cor. IV, 7. Luc. XVII, 10. Genes. XVIII, 27. Propter fidem liberam vocatus Abraham, non fuit gloria elatus, sed magna utens modestia, dixit: *ego autem sum terra & cinis.* Clemens Alexandr. I. IV. Stromat. fol. 241. ideo Augustinus Epist. 56. hanc virtutem Theologis enixe commendat.

§. XLVIII.

Ex his commemoratis characteribus nosci potest, qui veri amatores DEI sint, & quæ virtus illi repugnat, ac ideo cavenda vitandaque veniant. Horum Catalogum textit B. Dannhauerus in *Hodoeph. Phenom. VI*. Nimurum 1) *φιλία* nobis connata, que in defecitu dilectionis proximi potissimum se prodit. 2) Amor apostolicus & idololatricus, quo etiam inordinata *φιλαντία* spectat, aliorum plurimorum vitorum fecuritudo. 3) Amor hypocriticus & adulterinus. 4) Amor inconstans, inobediens, impatiens. 5) Amor partialis cum munitione, quæ in concubinosis & in coena fratrum & sororum do di-

do divisi, 6) Amor tepidus: quæ vitia in *Lact. Catech. part. I.*
p. 277. seqq. *Dannhaerus* descripsit.

§. XLIX.

Cur autem inter hæc vitia præter *hypocrisim*, prava *Philavita* sit scaturigo multorum aliorum vitiorum, id laudatus modo Theologus Buddeus in *Theol. Moral. P.I. Sæc. IV. §. 37-38* s. i. hu-jus foeditatem luculentiter atque orthodoxe præ aliis demonstravit; quare de illo heic plura dicere supersedemus.

§. L.

Sed *hypocrisis* scđum & frequens in omni vita vitium, sincerum DEI amorem plane evertit. Quod cum Phariseis olim inter Judæos esset admodum familiare; Christus eosdem hac de causa reprehendit, graviter objurgavit, *Matth. XXIII.* Hi enim simulabant pietatem, præ se amorem DEI ferentes, in triviis & compitis orabant, faciem deformabant; ut vi-derentur jejuniare, dilatabant phylacteria, prolixas preces de murmurabant. Alii fuerunt paulo subtiliores, ut ille, qui in templo Publicanum pœnitentem contemnebat, quod non ut ipse externa bona opera jactare posset, *Luc. XVIII.* At hoc fuit μηδενική τύπος, cui Apoſtolus 2. *Timoth. III. 5.* opponit ἀληθινὴς *Ephes. IV. 21. 1. Cor. V. 8.* verum & sincerum DEI cultum & amorem subinde inculcans.

§. LI.

Subiungi dicto vicio *superflusio* potest, mentium humana-rum ludibriūm, scđumque itidem crimen, quod tum in sen-su, tum in cultu religionis plurimum nocet; imo eam per commentatios & absurdos cultus subruit, ac abominandum est. Nam licet Moses, Prophetæ & Apostoli magno zelo in hanc mortalium insaniam invecti sint, eosque ab illa abstrahere vo-luerint, viam veritatis ex verbo DEI commonstrantes; ma-jor tamen mortalium pars tenebras magis, quam lucem amans obſtitit & obduruit; ac ideo a DEO, iusto judicio in sensum reprobum seu mentem omnis judicij expertem tradita, peri-re voluit. *Rom. I. 28. ff. c. II. 3. 4. 5. 6.*

F

§. LII. Nos

§. LII.

Nos potius vero misso adulterino amore mundi & carnis, utilitatem amoris in hoc & futuro seculo, cum Hieropalte Ps. XVIII, 2, 3, & LXXIII, 25, 26, it. XCI & D. Paulo, Rom. cap. VIII, 28, conf. Cap. XIII, per totum, attendentes eligemus, quod diligentibus Deum, omnia cooperentur in bonum. Bona autem illa sunt nobis ineffabilia: *Quia in hac vita non oculus vider, nec auris audivit, nec in mentem venerunt, que Deus preparavit iis, a quibus diligitur, Ef. LXIV, 4. 1. Cor. II, 9. 1. Cor. II, 9.* contra vero idem Apostolus, quod horrendum, anathema extrellum denunciat; *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, esto anathema, Maranatha, 1. Cor. XVI, 22.*

§. LIII.

Proinde nos ad Deum ter O. M. super omnia timendum & diligendum vertimur, ipsum in Christo nomine orantes; ut corda nostra sancto suo timore & amore implear, efficiatque, ne spretra amoris lege, secure vitam sine penitentia tranfigamus. Excita Pater benignissime, ignem amoris tui in frigidis cordibus nostris; ut tumor ille mixtus nos commoveat atque impellat ad Te cum Filio & Spiritu S. sincere & constanter diligendum. Effunde amorem Tuum in corda nostra, ut incalificamus hoc sancto igne, qui servilem expellet timorem noxioum. Tu enim amore & timore tuo tuorum regis pectora, ut in amore tuo maneamus, eoque cum timentibus Te

eternum frui queamus. Tibi soli in nunquam terminanda secula sit.

G L O R I A.

AB 153 258

ULB Halle
003 137 260


3



56.

12





Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
**TIMORE ET AMORE,
DEO DEBITO,**
QVAM
MODERANTE
ADAMO RECHENBERGIO,
S. Theol. D. ejusdemque Profess. Primar. & h. t.
Ordinis sui Decano,
PATRONO ATQVE STVDIORVM SVORVM
PROMOTORE DEVENERANDO,
LIPSIÆ IN AVDITORIO THEOLOGICO
CAL. SEPT. AO. MDCCXVI.
PLACIDÆ Θεολογίαν των συζητήσεων SVBJICIT
A. & R.
JOHANNES BALTHASAR FAVST,
Argentoratensis.

LIPSIAE,
LITTERIS SCHEDIANIS.